



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Sancti Bonaventurae Episcopi Cardinalis Albanensis,
Seraph. Doctoris Ecclesiae, Speculum Disciplinae, Et
Profectus Religiosorum: Libelli ad pietatem vtilissimi**

**Bernardus <de Bessa>
Bonaventura <Heiliger>**

Antverpiæ, 1591

De generalibus remediis contra vitia. Cap. XXV.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53148](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53148)

luntatem bonam habent, sed pigram & tepidam, non feruentem. Primum felicius est, secundum laboriosius. Quod autem horum maioris sit meriti, puto neminem perfecte aestimare posse, nisi eum qui ^{ad spiritum} statuum ponderator ^{tuum} est, scilicet Deum. Quia secundi si feliciter luctando vincunt seipsum, ut per consuetudinem sui potentes fiant, magnæ virtutis est. Primi maiori indigent cautela ne seducantur: quia diuitiæ faciliter acquisite prodigalius solent effundi, quam quæ paulatim & cum difficultate elaborantur. Secundi antequam perfecte vincant difficultatis tentationem, sæpe quasi lassati vel terribi ex labore desperant de victoria, & de peruentione ad finem quò tendunt, & remittunt studium perfectionis: & ad alias occupationes se conuertunt, quasi diffidentes Deo, quòd velit eos introducere in terram promissionis, per quam significatur perfectio puritatis. Sicut filij Israël in deserto tædio laboris & difficultatis de superâdis hostibus detraxerunt terræ promissionis: & mortui sunt in deserto præter paucissimos, hoc est, præter Caleb & Iosue, qui designant eos qui cautè & viriliter per tentationes pertranseunt vsque in finem perseverando. Ideo inter tot de seculo quasi de Aegypto egressos, tam pauci perueniunt ad consummatam perfectionem: quia aut seducti callidis deceptionibus inimici, aut tædio laboris & difficultatis fracti, viam perfectionis deserunt, vel aggredi non præsumunt.

De generalibus remediis contra vitia.

CAP. XXV.

QUAE DAM etiam sunt generalia remedia contra vitia expugnanda & virtutes obtinendas, quædam specialia, aliqua singularia;

M 4

laria;

laria; ut contra luxuriam, fugere feminas, viros, & similia. quædam autem sunt quæ citò & perfectè ducunt hominem ad sanitatem mentis, quædam tardiùs & imperfectiùs. Efficaciora remedia contra omnia vitia sunt ista. Primum paupertas; ut in omnibus penuriam patiaris, non solum in his quæ desideras, quia illa est omnium etiam ditissimorum qui plus cupiunt quam habent; sed etiam in his quibus necessario indiges, in victu, vestitu, hospicio, ministris & similibus. Secundum est despectio hominum; ut sis cõtempus, ut vilipendaris, & non cureris, & in nullo singulariter honoreris: sed potiùs confundaris, exprobreris & vitupereris. & hoc sæpe ab amicis, donec tumor elationis penitus in te cõprimatur. Nonne vides quanta mendici tolerant à diuitibus, & quam patienter? quod non facerent si haberent diuitias vel honores. Tertium est strenuum magisterium: ut cogaris facere quod inuitissimè faceres, & dimittere quod libenter faceres: & nihil habere nisi quod tibi datur, nihil agere nisi quod tibi iubetur: nec loqui nec esse nisi ad nutum alterius: & nihil dissimuletur quicquid negligis, quin asperè reprehendaris & puniaris, donec curuitas propriæ voluntatis plenè in te ad formam rectitudinis reflectatur. Quartum est elongatio à consortio secularium: quia sicut aqua turbata si ponatur seorsum à frequentia transeuntium, purificatur magis: ita mens religiosi à seculo sequestrata minus afficitur circa terrena, & celestia magis desiderare nititur, & purius intelligere & faciliùs inhærere de eis cogitando. Quintum est frequens oratio: quia oratio eleuat mentem supra se ad Deum, & imperrat ab ipso curationem languoris vitiorum & sanitatem virtutum. Sextum est qualibet afflictio vel tribula-

Efficacissi-
ma reme-
dia contra
vitia.

Simile
elegans.

bulatio aduersitatis: vt labor, infirmitas, persecutio, tērationes, infamia, & similia. Quia sicut lima purgat & splēdere facit metallum: ita tribulatio & angustia & afflictio abradit rubiginem vitiorū. vnde Gregorius: Qui desiderat plenē vitia vincere, studeat humiliter purgationis suæ flagella tolerare.] Si autem primò est amara ad sustinendum aduersitas, per consuetudinem continuam fit de die in diē tolerabilior, quousque iam non curetur vel etiam diligatur propter profectum sanitatis, quæ inde prouenire sentitur. Exemplum de cauterio, quod primò acerbum est, sed emortua carne iam non dolet, & superfluos humores educit. Vnde orat Propheta, Proba me Domine & tenta me: vire renes meos & cor meum. Septimum est continua mortis & operum retributionis mediatio, quæ facit vitia timere, & virtutibus insistere. Sicut autem arte medicinæ contraria contrariis curantur, ita vitia contrariis exercitiorum remediis sanantur: vt superbia humiliatione, gula sobrietate, impatientia aduersitate, & sic de cæteris.

Hom. 25. in
Euang.

Psal. 25. 2

De remediis specialibus singulorum vitiorum.

CAP. XXVI.

NVNC ergo de specialibus remediis singulorum vitiorum videndum est; quæ si non omnia possumus scire vel describere, pauca tamen de pluribus cōsideremus: sicut pauperes qui nō possunt multas medicinarum diuersitates & efficaces habere, conficiunt de vilibus herbis ynguenta quibus liniunt dolores suos.

M. S. De